



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### **Theologia Moralis Universa, Complectens Omnia Morum Præcepta, Et Principia Decisionis Omnium Conscientiæ Casuum, Suis Quæque Momentis Stabilita**

Ad usum Parochorum, & Confessariorum

Continens Tractatus De Virtutibus Moralibus, De Justitia Et Jure Et De  
Contractibus

**Antoine, Paul-Gabriel**

**Ingolstadii, MDCCXXXIII.**

**VD18 90392159**

Q. 4. An donatio acceptata potest revocari?

**urn:nbn:de:hbz:466:1-40993**



alterius obitu, ex l. 32. ff. & l. 3. cod. hoc tit. & cap. Cit. modo eæ non impediunt, ne liberi suas legitimas partes accipiant, ex l. 1. cod. de inoffic. donat.

4. Donatio patris facta filio nondum emancipato, quæ jure digest. erat nulla, jure codicis est tantum revocabilis, exceptis paucis casibus: unde non revocata confirmatur morte patris, vel etiam emancipatione filii, si res est tradita: quia quoad Filius est sub Patria potestate, censetur veluti una persona cum Patre quoad effectus civiles. Valet autem donatio Matris in Filium, quia Filius non est in potestate Matris, scilicet civili, & in ordine ad effectus civiles.

*Not.* In his & similibus, ubi agitur de dispositione bonorum, spectandæ, & servandæ sunt leges, ac consuetudines speciales locorum rationi consentaneæ, quæ sæpe à jure communi Cæsareo discrepant: nam cum voluntates subditorum, eorumque bona subjiciantur potestati legislativæ in ordine ad bonum commune; nemo potest de suis bonis disponere licitè contra leges justas, quæ semper obligant in conscientia; imò nec validè, si sint irritantes.

**Q. 4.** *An donatio acceptata potest revocari?*

*Resp. I.* Donatio facta mortis causâ, in tribus casibus revocatur. I. Si donatorem il-

Ee 5 lius



lius pœniteat. sive expressè, sive etiam implicite, ut si rem illam alteri donet: quia talis donatio, ex dispositione juris habet hanc tacitam conditionem, *nisi revocetur*. 2. Si ante donatorem moriatur donatarius, donatio est ipso jure revocata, nisi donator promississet se eam non revocaturum, nam tunc juxta varios transiret ad hæredes donatarii. 3. Si donator dederit intuitu instantis periculi mortis, censetur tacite revocata donatio sublato periculo: quia censetur facta sub hac conditione, *si non evasero*, ex tit. *de mortis causâ donat.*

*Resp. II.* Donatio inter vivos revocatur ob quatuor causas. 1. Ob ingratitude donatarii, l. ult. cod. *de revocat. donat.* & cap. ult. *de donat.* ut si donatori injurias atroces, vel grave rerum ejus damnum, vel vitæ periculum intulerit. Item juxta Doctores si inopia pressum non aluerit. Sed ante sententiam judicis hæc pœna non debetur. 2. Ob prolem postea susceptam, ut si quis prole carens magnam suorum bonorum partem donarit, & postea ei nascatur proles, l. 8. cod. *de revoc. donat.* quia tunc donatio habet saltem ex dispositione juris hanc conditionem, *si proles non nascatur*. 3. Si sit inofficiosa, hoc est facta contra officium pietatis debitæ liberis, vel parentibus, ut quando per eam filii privantur suâ legitimâ, id est, parte hæreditatis sibi debita secundum leges, l. 1. cod. *de inoffic. donat.* 4. Si quid donatum sit ob causam, non secutâ causâ.

*Resp.*



*Resp. III.* Donatio inter vivos acceptata nequit revocari nisi ob causas prædictas, l. 5 & ult. cod. *de revoc. donat.* quia jure naturæ donatarius acquisivit dominium rei donatæ, & traditæ, jus verò ad rem, si nondum sit tradita; nec leges dant jus revocandi nisi ob causas supradictas.

*Q. 5.* An donatio facta ad certum finem valeat, si finis ille non præstetur?

*Resp. I.* Quando aliquis donat ob certum finem, si non intendat ad illum obligare, sed solum allicere animum, vel præbere media ad illum assequendum, si placuerit, valida est donatio, etiamsi finis non sequatur. *Est communis.* ex l. 7. cod. *de condict. ob causas.* quia donatio non est conditionata, sed absoluta, & facta solum ex animo alliciendi ad aliquid. Unde res donata potest acceptari, & retineri à donatario, etiam si non habeat animum præstandi, quod cupit donator. Si puella potest acceptare legatum sibi factum, ut nubat, etsi nolit nubere. Item valet donatio, qua quis donat alteri, ut sibi faveat in aliqua re, quamvis hic non faverit, quia principaliter facta est ad alliciendum, non ad obligandum. Quod verum est, etiamsi donator non donasset, si putasset alium non esse alliciendum? nam adhuc subsistit causa finalis, cum donet, ut possit allicere, non autem sub conditione, si actu alliciat.

Peccat